

Regnum Mortuorum.

Sermo Politicus.

De resultatis celebrati Parisiis Judeorum Sanhedrini.

In Elysio 25. Martii 1808.

T e x t u s.

Cum expeditionibus cruciatis incepit persecutio Judeorum in Germania, duravitque ad tempora Friderici III. Anno 1470. et Caroli V. Anno 1544. dum hi eos in suam susceperant clientelam.

Historia Judeorum.

Populus Judaicus derivatur per Abrahamum ex regionibus trans Euphratem; morabatur aliquo tempore in illa parte Syriae, quae Canaan, seu Palaestina nominabatur; ubi sub variis mutationibus specialem independentem formabat civitatem, donec tandem inde expulsus, et in omnes orbis regiones dispersus est. Populus hic fuerat ab origine moribus, legibusque suis singularis, et ab omnibus aliis populis diversus, ut adeo relationes vetustissimorum scriptorum circa eum criticam haud sustineant. Sola Biblia sunt certissimus fons, ex quo notitia Judaeorum hauriri potest.

Historiam eorum in Germania exhibent Annales nostri. Cum expeditionibus cruciatis, dicit *Schmidt*, incepit Judeorum persecutio, et duravit, donec A. 1470 Imperator Fridericus III. et A. 1544 Carolus V. eorumque successores eos in suam accepissent clientelam. Post hanc aetatem proprietates Judeorum erat utcumque secura, sed relationes eorum ad Christianos ab localibus adjuncis multum dependebant. Josephus II. benignis hunc populum aspexit oculis, et sapientibus legibus politicam eorum existentiam in Ditionibus suis definivit. — Magnae recordationes!

Gallica revolutio, quae omne vetus e cardinibus evellere voluit, etiam pro Israelitis in futurum magna destinavit, ast omnia erant arbitraria, et incerta, donec Magnus Napoleon, qui omnia legibus figere vult, etiam ad Judeos respexit, et ante duos circiter annos sapientiores, et cultiores eorum in conventum Generalem, lingua eorum *Sanhe-*

arin dictum coegit. Quid in conventu hoc actum sit, referent nobis paginae publicae, sed genuinus scopus mansit adhuc incertus. Princeps Primas Rhenanae Confoederationis primus perrupit callem, et sortem Judaeorum, seu Concivitatem sapientibus legibus definivit. Populus dispersus non potest primo statim obtutu in suis moribus, et consuetudinibus plene reformari, sed debet per educationem, et officia, fonte etiam per generationes praeparari. Hic est recte triumphus verae providae sapientiae.

Tandem 30. Martii prodixit constitutio politica et ecclesiastica Judaeorum in Gallia, quae in essentialibus cum Constitutione primatiali convenit. En illam; prout eam Sanhedrin A. 1806. definivit, et Decretum Caesareum de 17. Martii executionem ejus praecipit: — In quovis Departamento, in quo 2000 Israelitarum habitant, futura est una sinagoga, et consistorium Israeliticum. Ubi numerus iste non adest, conjungantur hoc fine plura Departamenta. Quodvis Consistorium habeat suum Rabbinum superiorem. Quodvis Consistorium componetur ex 1. superiori, et altero Rabbinio, aliisque 3. Israelitis. Senior eorum Consistorio praesidebit, vocabiturque Senior Consistorii. Membra Consistorii eligentur per 25. Delectos (Notables) per competentem Jurisdictionem nominandos. Nemo ante completum 30 aetatis annum potest esse membrum Consistorii, aut qui facultatibus lapsus, vel ut foenerator notus est. Parisiis futurum est Consistorium generale, constans 3 Rabbinis, et 2. aliis Israelitis. Rabbinii Consistorii centralis habebunt annue 3000 franc, alii 1000 et sic a proportione. — Aliud Decretum de eodem dato varia ordinat circa executionem hujus Regulamenti, quae etiam ad Judeos Italiae applicari possunt. Tertium denique Decretum ejusdem diei statuit sequentia circa solutionem debitorum Judaeis: — 1) A die publicationis hujus Edicti cessat alterum de 30. Maii 1806 quod solutionem debitorum Judeis suspendit. 2) Debita haec porro etiam sequentibus suberunt. 3) Mutuum datum Minoribus citra Tutorum; Uxoribus citra maritorum; militibus, si gregarii sint, absque Centurionum; si vero Officiales sint, absque Ducis cohortum consensu est nullum, et nec datur actio Debiti, nec Judices de tali causa judicare possunt. 4) Nullum cambium, nulla assignatio, nulla obligatio, aut debiti recognitio Judeis facta est valida, nisi valuta integra absque ulla restrictione numerata fuisse probetur. 5) Si per accumulationem Interusuriorum capitale ultra 5 pCentum adcrevit, Judicia illud reducere debent; si vero ultra 10 pCentum assurrexit, est debitum nullum, proque tali declarandum, eum pro pravitate usuraria habeatur. 6) In debitis non usurariis Judaeorum Judi-

cia habent jus, terminos solutionis concedendi. 7) Inchoando a 1. Julii a. c. nulli Judeo licitum erit quaestum exercere, nisi Patentes hoc sine a Praefecto Departamenti habeat, quae non nisi erga certificationem Municipalitatis; quod Judaeus nullam usuram, aut illicitum quaestum exercuerit, et consistorii Sinagogae, ad quam pertinet, quod semet semper honeste gesserit, expedientur. 8) Patentes hae quotannis renovabuntur. 9) Fiscus Coronae jubetur cassationem harum Patentium per sententiam Judicis postulandi, quoties probatum fuerit, Judeum talem usuram, aut fraudem exercuisse. 10) Contractus commerciales non patentati Judei sunt nulli. 11) Idem est de jure hypothecae, si probetur, debitum ex cambio, aut secus ex commercio profuisse. 12) Omnes Contractus non patentatorum Judaeorum, qui non ex quaestu derivantur, subsunt judicariae investigationi, et Debitor ad probandam usuram, aut dolum admittendus, debitum vero, prout Judex invenerit, aut defalcandum, aut si Censu ultra 10 pCent assurgat, cassandum. 13) Dispositiones Paragraphi 4. quoad Cambia, assignationes etc. valent tam pro praeterito, quam et futuro. 14) Judaeis veritum est, servilibus ad pignus pecunias dare, et generaliter etiam aliis ad pignora non secus, quam coram Notario, pecunias dare licet, sub poena amissionis pecuniae, et gratuita pignoris restitutione, qui Notarius testari debebit, pecunias in sui, et Testium praesentia numeratas fuisse. 15) sub iisdem poenis non licet Judaeis ad Instrumenta Opificii, aut vestitum Opificibus, Operariis, et servitoribus, pecunias dare. 16) In Departementis Rheni tam superioris, quam inferioris dehinc nullus Judeus domicilium figere poterit, qui nunc ibidem non constituitur; in aliis quoque Departementis non secus, quam si fundos immobiles sibi compareret, et pure semet agricultura occupet, nec quaestum exercent; Exceptio tamen, praemisso Imperatoris assensu, fieri potest. 17) si Judaeus in Conscriptionem militarem veniat, debet militiam sequi, nec alium substituere potest. 18) Hae ordinationes durabunt 10. annis, quia spes est, ut tot emendationis media, quae pro Judaeis adhibentur, desideratum effectum sint habitura, ut evoluto hoc termino nulla amplius inter Judaeos, et alios cives necessaria sit differentia; casum ia contrarium reservat Imperans, ut statutum hoc pro re nata extendatur. 19) Judei Burdegalenses, prout et in Departementis *Gironde*, et *Landes* ab his excipiuntur, quia ab illis, quae reliquos Judaeos gravant, immunes sunt. 20) Ministris, cuivis in sua linea imponitur executio praesentis Decreti. *Napoleon*. Minister Status Secretarius *Maret*.

Organisatio Universitatis in Gallia.

Decretum Caesareum, 19. Martii emanatum, eatenus haec habet: Cura educationis, et Institutionis publicae est exclusive Universitatis objectum. — Nulla schola, nullumque Institutum potest erigi citra indultum Universitatis, aut Rectoris ejus — Nulli licet scholam aperire, aut publice docere, nisi sit Doctor, et membrum Universitatis; solis Seminariis exceptis, quae ab Archi et Episcopis pendent, qui tamen ordinationibus Caesareis, eatenus jam emanatis, alligantur — Universitas in tota abit Academiis, quot sunt fora appellatoria. — Scholae ad Academiis pertinentes sunt: 1) Facultates pro tradendis scientiis necessariis, et collatio gradus. 2) Lycea pro lingvis veterum, Historia, Rhetorica, Logica, et elementaribus notitiis Mathematicae, et Physicae, 3) Collegia seu Scholae Secundariae communitatum pro elementis lingvarum veterum, Historiae, ac Scientiarum. 4) Scholae per privatos Institutores tradendae, quorum Institutio collegiis conforme est. 5) Pensiones, et fundationes privatorum, quae prioribus minores sunt. 6) Scholae primariae, seu vernaculae pro legendo, scribendo, et elementis Arithmeticae.

Penes Universitatem sunt 5. Facultates: Theologica, Juridica, Medica, Mathematica, et Physica, atque scientiarum elegantiorum. — Archi, et Episcopi proponunt Professores pro facultate theologica; Prima vice denominat Professores Magnus Magister, Decanus, et Professores facultatis: postea vero electio fit per Concursum. — Facultates theologicae sunt tot, quot Ecclesiae Metropolitanae, habentque 3. Professores; utpote Historiae ecclesiae, dymaticae, et moralis. Praest eis Decanus, et Professoribus nominandus. Argentorati, et Genevae est facultas theologica etiam pro Reformatis. — Scholae Juridicae constituunt actu 12 facultates, quae ad Accademias pertinent, in quarum Districtu sunt. Scholae Medicae 5. quae actu sunt, formant 5. facultates, spectantque pariter ad Academiis Districtus sui. Lyceum in loco, ubi est Accademia, habebit unam facultatem scientiarum, ad quam duo Professores Mathematicae, Professor historiae naturalis, Physicae item, et Civicae pertinent; His accedunt Provisor et Censor cum Decano, inter Professores eligendo — Penes idem Lyceum erit etiam facultas scientiarum amaeniorum, constans tribus Professoribus; pariter cum Provisore, ac Censore, nec non Decano, uno de Professoribus. — Quaevis facultas habet tres gradus; Baccalaurei, Licentiati, et Doctoris, quot facultatas, praemisso publico examine distribuit, qui tamen non dant titulum commembri Accademiae, ad eum tamen assequendum necessarii sunt.